

Q. D. B. V! 36 XII

DISPVVTATIO IN AVGVRALIS  
QVA DE  
**G R A T I A**  
**S P I R I T V S S A N C T**  
**D O C E N T E**

AVSPICIIS  
SERENISSIMI PRINCIPIS ATQVE DOMINI  
**D N . F R I D E R I C I A V G V S T**  
ELECT. SAXON. HEREDIS  
ETC. ETC. ETC.

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI  
*PRAESIDE*

**G O T T L I E B V V E R N S D O R F I**  
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. TEMPLI C  
SS. PRAEPOS. ET SENATVS ECCLES. ASSESSORE

**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES CONSEQUEN  
*IPSIS CAL. SEXTIL. ab ICC IX.*  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM STATIS  
PVBLICE DISSERVIT

**M. PAVLVS Gottlieb HOFMANNVS**

Torga-Misn. t. t. SS. Theol. Cand. nunc vero S. Theol. Doct.  
& Prof. Extraord. in Acad. Lips.

EDITIO SECUNDA.

VITEMBERGAE, STANNO GERDESIANO. 1717.

IX  
DOMINIINUS  
Gloria PATRI  
Gloria Sanctis  
Gloria Sancto PETRO  
Gloria Sancto PAULO  
Gloria Sancto JohannES  
Gloria Sancto Joseph  
Gloria Sancto Mariae  
Gloria Sancto Constantino  
Gloria Sancto Gregorio  
Gloria Sancto Bonifacius  
Gloria Sancto Ciriacus  
Gloria Sancto Eusebius  
Gloria Sancto Ignatius  
Gloria Sancto Jerome  
Gloria Sancto Matthaeus  
Gloria Sancto Peter  
Gloria Sancto Rufus  
Gloria Sancto Thomas  
Gloria Sancto Victor  
Gloria Sancto Xystus  
Gloria Sancto Yakov  
Gloria Sancto Zacharias  
Gloria Sancto Andreas  
Gloria Sancto Cornelius  
Gloria Sancto Dominicus  
Gloria Sancto Felicis  
Gloria Sancto Gerardus  
Gloria Sancto Hilarius  
Gloria Sancto Ignatius  
Gloria Sancto John  
Gloria Sancto Konrad  
Gloria Sancto Lazarus  
Gloria Sancto Matthaeus  
Gloria Sancto Nicholaus  
Gloria Sancto Oswaldus  
Gloria Sancto Peter  
Gloria Sancto Rufus  
Gloria Sancto Thomas  
Gloria Sancto Victor  
Gloria Sancto Xystus  
Gloria Sancto Yakov  
Gloria Sancto Zacharias



§. I.



Vanquam major est, & atrocior gene-  
ris humani corruptio, quam quæ no-  
stris vel explicari sermonibus, vel de-  
plorari lacrimis satis queat; dubium  
tamen non est, quin, suas si vires, post  
præstitam a Filio satisfactionem, ex-  
promere divina potentia voluisse, pau-  
cis actibus nostra e natura illam evel-

lere, hominemque ad pristinum decus, & integritatem revo-  
care potuerit. Quum enim ad inferendam ei imaginem di-  
vinam unico tantum afflatu opus fuerit, quis neget, eidem re-  
stituendæ unum, & item alterum, gratiæ impetum suffectu-  
rum fuisse. Placuit interim Sapientiæ Numinis in homine  
reparando multiplicare gradus, eosdemque ita disponere, ac  
moderari, ut hinc magnitudo negotii creaturæ vires excedens,  
hinc gratiæ, ac bonitatis divinæ copia, difficultates omnes su-  
perans, appareret.

§. II. Etsi proinde non nisi una est DEI gratia, quæ  
subvenit miseris, perinde ut essentia, diversis tamen effectis  
eadem se manifestat, & exerit. Nunc enim homines ad se  
admittendam blandissime *invitat*: nunc de magnitudine mi-  
seriæ, qua laborent, & adhibendis, quæ a Deo sunt ordina-  
ta, remediis, *edocet*: nunc *ad fidem* non repugnantes perdu-  
cit:

*cit*: nunc perductos a reatu mortis, quo premebantur, *absolvit*: nunc in gratiam receptos *adoptat*, multisque rationibus *ornat*: nunc denique in statu gratiæ *confirmat*, & ad gloriam, in cœlis præparatam, transmittit.

§. III. Parum vero abest, quin primum, inter omnes gratiæ divinæ significationes & gradus, locum obtineat ea, quam, præente Scriptura, *gratiam Spiritus S. DOCENTE* non incommodè appellaverim. Quia enim eo usque corrupti sumus, ac miseri, ut, profundissimis licet calamitatibus demersi, nostram tamen ipsorum miseriam ignoremus, viam vero, rationemque, eluctandi ex ea, non modo nesciamus, sed &, monstratam ab aliis, ne intelligere quidem, & assequi, nedum arripere, aut usurpare possimus; facile patet, nobis, nisi a Spiritu S. de naturæ nostræ conditione ac statu modoque ac ordine illius corrigendi, edocetis, de subsecuturis gratiæ divinæ effectibus, parum aut nihil, sperandum esse.

§. IV. *Primus* igitur gratiæ Spiritus S. applicatrixis gradus est, quod Nos, nihil hujusmodi promeritos & a civitate DEI alienos, ad se *vocat*, & ut, missò perditis hominibus nuntio, sanctiori nos coetui jungamus, oblatamque in Christo gratiam admittamus, invitat. *Jes. XXVI. 10. Matth. XXII. 2. 1. Thes. II. 12. Act. XXVI. 18.* Proximum verum ad hoc locum *gratia DOCENS* occupat, quæ tum conditionem naturæ nostræ corruptam ac miseram, tum modum rationemque illius emendandæ ostendit. Quin hæc ipsa cum gratia *Vocante* tam arcte est copulata, ut quodammodo in eadem videatur includi. Nec enim vocari quis potest a DEO, quin simul, aliqua faltem ex parte, quorsum, quare, & quomodo venire debeat, edoceatur: Hinc Psaltes: *Agite, filii, auscultate mihi: reverentiam Iebovæ docebo vos. Psal. XXXIV. 12.* Et Dominus ipse: *venite ad me omnes, qui laboratis, & ego refocillabo vos.*

Quæ

Quæ verba vocantis sunt: mox ad discendum hortatur: diste a me, quoniam bumilis sum corde &c. Matth. XI, 29.

§. V. Differunt interim Gratia Vocans & Docens, non modo, quod illa præcedit, hoc sequitur, sed &, quod per illam homines ad institutionem salutarem æquo animo admittendam, divinitus invitantur: per hanc vero actu ipso, de rebus ad salutem cognitu necessariis, instituuntur. Terminus igitur a quo, ut loquimur in scholis, gratiæ vocantis, est status corruptionis, Satanæque, ac tenebrarum regnum, in genere; ad quem, est regnum gratiæ, in eoque dispensanda recuperandæ salutis adminicula, siquidem vocamus a tenebris ad lucem 1. Petr. II, 9. Docentis vero terminus a quo, est mentis sigillatim corruptio, per ignoratiam, errores, ac dubitationem, de DEO rebusque divinis; ad quem, est illuminatio passiva, seu liberatio a corruptelis in mente, per oppositam acquisitionem notitiæ de DEO, rebusque salutaribus.

§. VI. Notiogratia Docentis est ἔγγειος. Etsi enim quidam novaturientes cum Zieroldo, Langio, aliisque eo prægrediuntur insanæ, ut id omne gratiæ divinæ ambitu excludant, & ad Legem, naturamque, rejiciant, quicquid in homine cum fide, & charitate conjunctum non est; meminisse tamen debemus, de actibus gratiæ divinæ non ex corundem in hominibus effectu, & actuali operatione, vel accidentali successu, sed ex ordinatione divina, ipsorumque actuum indole ac natura, judicari debere. Christus enim inter gratiæ divinæ documenta refert, quod Judæi saepius fuerint vocati, & invitati ad nuptias & coenam, Matth. XXII, 4. Luc. XIV, 17. Act. XIII, 46. etsi non comparuerint, sed oblatam gratiam respuerint: idemque aures ad audiendum inter beneficia refert, Luc. VIII, 10. 18. Jo. XII, 40. etsi ab audientibus non recte usurpatas. Itaque Apostolus doctrinam Evangelii conceptis

ceptis verbis gratiam nominat Galat. II, 9. & sigillatum inculcat Ephes. III, 9. cum ait: *Evangelii factus sum minister κατὰ τὴν δωρεὰν τῆς χάριτος Θεοῦ* — Mibi minimo omnium iunctorum data est hæc gratia, εἴδοθην ἡ χάρις αὐτοῦ, ut inter gentes evangelizem. Denique vix inter Christianos auditum fuit, Pelagianum esse, docere: Gratiam stricte dictam esse, quod nobis divina eloquia prædicantur. Quod tamen Z. asseverare non dubitat, in Diss. Proœm. Syn. Theol. pag. 34.

§. VII. Quin &, quod Docentem hanc gratiam vocamus, in Scriptura fundatum est, quippe quæ de Doctore primo ac eminente, Spiritu S. ejusque hypodidascalis, fidelibus Ecclesiæ ministris, de doctrina ipsa, & discipline, quæ adhibetur, modo, de subsidiis, & rationibus instituendi homines, graviter copioseque exponit, quod ex sequentibus constabit. Itaque nonnunquam in mentem mihi venit mirari, quod hæc ipsa notio in scholis Theologorum rarius usurpatur, quam tamè sit propria, multisque adversariorum cavillationibus arcendis idonea, ceterisque titulis ac nominibus, non una de causa, anteferenda.

§. VIII. Crebrius, sed sensu vocis impropio, gratia illuminans, vel illuminatrix, vocatur, pariter præente Scriptura, cui illuminare idem est, quod docere. Ut enim corruptio mentis per ignorantiam, & errores, caligo dicitur; sic rerum sacrarum notitia, divinitus nobiscum communicata lumen appellatur. Jes. II, 5. cap. LX, 2. & 3. Jo. III, 9. XII, 35. Actor. XXVI, 18. 1. Theff. V, 1. Job. I, 5. Rom. I, 21. II, 16. Eph. V, 8. 1. Pet. II, 9. 1. Jo. II, 9. Luminis enim est tenebras dissipare: doctrinæ, ignorantem, & errores expellere. Pulcre Clemens Alex. Strom. L. V. f. 578. Φωτισμὸς ἡ μαζητεία κεκληται, ἡ τοῦ κεκευμένα φανερώσαται, disciplina dicta est illuminatio, ut quæ manifestavit occulta. Et Gregorius Nyssenus Orat. XII. c.

Euno-

Eunomium T. II. f. 714. Τὸ ἡλιακὸν Φῶς, inquit, ὅφεως ἐστὶ διαμρῆμόν. ὃ δὲ τῆς διδασκαλίας τῶν μαθητῶν λόγος ταῦς ψυχοῦς τὸν Φωτισμὸν τῆς ἀληθείας ἐντίθησι, solaris lux, visus est discretiva, sermo autem doctrine, discipulorum animis veritatis illustrationem immittit. Præceptio enim Domini illuminat oculos, mentis nimirum, subministrans cognitionem tum nostræ miseriae, tum voluntatis divinæ Psal. XIX, 19. Psal. xix  
 Quem ad locum Theodoretus f. 468. ἡ ἐντολὴ Φωτίζει τῆς διδασκαλίας τὸ ὄπτικὸν, διδάσκει τι τὸν τῶν ὄλων θεραπευει Θεὸν, præceptum internos mentis oculos illuminat, docens, quomodo universitatis Deus colatur. Sic mentis oculi dicuntur per scientiam illuminati, Ephes. I, 18. Et Apostolus missum se esse scribit, Φωτίσω πάντας Ephes. III, 9. Denique recte in mysteriis instituti Φωτισθέντες appellantur Ebr. VI, 4. conf. 2. Cor. IV, 6. Huc spectat, quod Aquila Ponticus, Exod. IV, 12. Ps. CXIX, 33. Prov. IV, 4; imo & LXX. Interpretes, Ind. XIII, 8. 2. Reg. XII, 2. c. XVII, 27. Ebr. ΠΡΩΤΗ, docuit, instituit, reddiderunt per τὸ Φωτίζειν. Sequuntur modum loquendi veteris Ecclesiæ Doctores, qui cum doctrinam & institutionem generatim, tum eam sigillatim, quæ Baptismati solebat præmitti, & Catechumenorum erat, Φωτισμὸν & Φωτισμα, dicere conserverunt, quo de vid. Suerus in Thesauro.

§. IX. Iisdem de causis dicitur apertio oculorum, Psal. CXIX. 18. Actör. XXVI, 18. item Φανέρωσις, seu manifestatio. Scriptura enim aliquando inter Φανέρωσιν, & ἀποκάλυψιν distinguvit, ita, ut illa sit rerum antea revelatarum publicatio, & manifestatio, hæc rerum novarum, & antea ignotarum, suggestio. Φανέρωσις inter χαρίσματα, καὶ ἐνεργήματα Spiritus S. omnino refertur 1. Cor. XII, 7. & Servator ipse testatur, se manifestasse nomen Patris sui hominibus Joan. XVII, 6. i. e. docendo proposuisse. Paulus autem Coloss. IV, 4. τὸ Φανέρωσαι expli-

explicat per τὸ λαλῆσαι, τὸ μυητεῖν τὸ Χριστόν, sibique tribuit  
Φανέρωσιν τῆς ἀληθείας, seu propalationem veræ doctrinæ  
*2. Cor. IV, 2.*

§. X. Nonnulli gratiam docentem etiam revelanti aequi-  
pollere putant, sed perperam. Si enim αὐτοὶ βέβαιοι, ab ipso  
Spiritu S. custoditam, tueri volumus, inter gratiam *revelan-*  
*tem*, ac *docentem*, illud, hodierno tempore, discriminis inter-  
cedit, quod *illa* olim dirigebatur ad Prophetas, & spiritu pro-  
phetico instructos, cum Apostolos, tum alios, *Num. XXIV, 4.*  
*1. Cor. XIV, 26. 30. 2. Cor. XII, 7. Epb. I, 17.* *hac* hodie ad o-  
mnes. *Ille* se habet ad instar cause: *hac* instar effectus. Ni-  
si enim extaret divina revelatio in Scripturis, nemo posset hoc  
tempore vel docere, vel discere. *Ille* siebat immediate a  
Spiritu S. *Gal. I, 12. II, 2.* *Hec*, interveniente verbo, *Pf. XCIV, 12.*  
*1. Cor. II, 13.* Conf. Celeberr. Theologorum, *B. D. Grapii Theol.*  
*Posit. c. XVI. pag. 134.* & *B. M. Bückeri Ratmannus redi-*  
*videns.*

§. XI. Illud nobis prætereundum non est, quod gra-  
tia *Docens* nunc antecedat fidem, & gratiam *inhabitantem*, nunc  
eandem sequatur. Docet enim Spiritus S. homines, quoad  
versantur in regno gratiæ, iisdemque, prout cuiusque status  
& conditio postulat, non modo elementa & initia Christianæ  
religionis, sed & ea, quæ ad τελείωσιν spectant, proponit,  
*Ebr. V, 12. VI, 1.* Posterior, & quæ inhabitantem sequitur,  
*Job. XI, 20. 21.* sigillatim in Scriptura dicitur gratia *ungens* *1. Job. II, 20. 27.*  
Est enim Christina non modo medicum & paracleticum, sed &  
prælucens, cuius typus illud *chrisma*, quod Regibus olim, Sacerdo-  
tibus & Prophetis datum, cum instructione ad officii λειτουργίαν  
& mutatione in alios viros. - - Ad hanc unctricem gratiam  
omnino referenda sunt charismata Oeconomica, dona, ut vocan-  
tur, administrantia, summi Regis αποσολαj *1. Maccab. II, 18.*  
lumen

*lumen scil. sapientie, flumen lingue, virtus thaumaturgica,  
θυμὸς heroicus 1. Cor. XII, 4. ut loquitur B. Dannhauerus in  
Hodoſ. p. 938. seq. Utraque vero gratia, sive præcedat inhabitan-  
tem, sive sequatur eam, est aliquid supernaturale. Namque &  
illa, quæ in lapsis supereſt, notitia rerum divinarum, quæque  
inhabitantem haud dubie præcedit, est lumen aliquod super-  
naturale, quod idem Dannbauerus docet ex Apoc. III, 2. in  
Hodoſ. pag. 878.*

§. XII. Interim hoc loco eam præcipue gratiam Do-  
centem attendimus, quæ ad prævenientem, preparantem, & ex-  
citantem spectat, adeoque inhabitantem præcedit. Quoad  
enim tantum docetur homo, stat Christus quasi præ foribus  
& pulsat, ut intromittatur Apoc. III, 20. Trahiturque homo  
a DEO, ut veniat ad eundem Jo. VI, 44. Itaque inter vo-  
cantem, & regenerantem, vel convertentem sensu strictiore,  
(laxius enim si capiatur, illuminantem seu docentem invol-  
vit) est media, illamque immediate sequitur, hanc immediate  
præcedit. Monstrat hunc ordinem DEVS ipse in tabulis va-  
cationis Paulinæ Act. XXVI, 18. quibus testatur, se mittere Pau-  
lum ad gentes, (quod est gratiæ Vocantis;) ut aperiat oculos eo-  
rum, (hem gratiam illuminantem ac docentem!) ut conver-  
tantur a tenebris ad lucem, & a potestate Satanae ad Deum,  
(ergo conversio stricte dicta illuminationem immediate ex-  
cipit,) ut accipiant remissionem peccatorum, (observetur justi-  
ficatio,) & sortem inter eos, qui sanctificati sunt, (sanctifica-  
tio nimium justificationem non præcedit, sed sequitur) per  
fidem in se. Consentit Form. Conc. in solida Declarat. p. 805.  
Certo statuamus, inquit, quod Deus in iis, quos ad eum modum  
vocat, per verbum efficax esse velit, ut illuminentur; convertan-  
tur, & salventur. Conf. B. D. Neumannii Disp. de nexu & discri-  
donorum gratia.

A &amp; XX

B

§. XIII.

§. XIII. Quod ipsum non solum *de Ordine naturae*, secundum quem Illuminationem antecedere conversionem factentur, qui hoc tempore male-sanas de hoc arguento sententias fovent, sed *temporis quoque*, intelligatur velim. Ut enim infantes, (quos suo modo illuminari ac doceri a Spiritu S. negari non potest, conf. *Mattb. XXVIII, 18.*) per Baptismum regenerentur ac renoventur simul *Tit. III, 5.* in adultis tamen illuminatio, seu doctrina, reliquas sanctificationis partes non *naturae modo*, sed *temporis quoque*, ordine antecedit.

§. XIV. Ac primo quidem id ipsa *doctrina* indeoles, ratioque exposita, quam omnis *institutio*, etiam tempore, antecedat *actionem institutioni conformem*, & multo ante nos doceamus in scholis, quid statuere de rebus, quid facere, quid omittere debeamus, quam bene cognita ad usum transferamus. Institutio habet sese ad instar *medii*, respectu *actionis*, ex *institutionis præscripto suscipienda*. Actio ipsa, instar *finis* & *scopi*. Medium tempore antecedit effectum. Neque etiam vel appetere quis bonum, vel appetitum exequi, sibique conciliare potest, nisi prius illud cognoverit, quem ignoti nulla cupido sit, &, *Augustino teste*, quantum cognoscunt homines, tantum diligent. Ante igitur oportet voluntatem ab intellectu per bonum ostensum ac commendatum moveri, & excitari, quam ad illud desiderandum, & prosequendum se conferat. Quomodo credent, de quo non audiverunt?

*Rom. X, 14.* imo quomodo apperent, aut per fiduciam apprehendent, quod nondum cognoverunt? Itaque cœcus ille, monitus a Servatore, ut crederet in Filium DEI, prius edoceri cupiebat, quisnam ille esset, *Job. IX, 36.* Namque ut in fertilitate terræ seminis sparso, sparsique intra sulcos receptio, prior est ipsa παροφερεια, & in hac quoque primum herba, hinc spica, denique triticum profertur *Marc. IV, 28.* ita & in emendo

dando homine doctrina verbi DEI, ex eaque resultans illuminatio, tempore antecedit conversionem, ipsamque regenerationem. Illuminatus enim, qua talis, seu solius gratiae Docentis compos factus, habet sese ad instar embryonis, qui delitescit in utero, & sensim paulatimque crescit, movetur etiam aliquando, ac subsilit, donec prorsus elaboratus prodeat in lucem, & nascatur. Vti vero formatio hominis in utero nativitatem ejus non *natura* modo, sed *tempore* etiam, antecedit, ita etiam illuminatio, seu institutio hominis, ipsam regenerationem. Sacerdotes certe qui Christo fidem dedisse *Act. VI, 7.* leguntur, haud dubie multo ante fuerant de Servatoris divinitate ab eodem in templo, & alias, edocti, ac per miracula convicti *Job. III, 2.* quam plene regenerarentur per fidem. *Augustinus* totum prope triennium in superandis, quas ipsi Manichaeismus objecerat, difficultatibus ablumpsit, notavitque *B. Hulsemannus*, de aux. *Grat. p. 8.* per XIX. gradus ad veram in Christum fidem eum ascendisse. Imo vero quotquot in peccata graviora prolapsi fiduciam in Deum amittunt, si quando redeunt ad frugem, multo ante fuerunt de DEO, rebusque sacris edocti, quam plene sanctificati. Unde per veram poenitentiam reversi ad Dominum non primum *institui*, aut illuminari, sed pridem cognitorum *meminisse*, ac recordari dicuntur *Hof. VI, 1. Ez. VI, 9. XVI, 61. XX, 43. XXXVI, 31. Zach. X, 9.* Qui enim semel a DEO recepti sunt in foedus, hos, et si per peccata prolapsos, *Spiritus Sanctus* excitante gratia semper comitatur, & ad revertendum instigat, *Catechismum*, & rudimenta fidei in memoriam revocando, ut loquitur *B. Hulsemannus l.c.* Cui si morem gerunt, tum demum fidem veram, gratiamque DEI, recuperant.

§. XV. Quum proinde gratia Docens, quæque huic respondet, illuminans, per hactenus dicta, vocantem immediate

*Mear.* diate sequatur, convertentem vero & regenerantem non *natura* modo, sed & *tempore* antecedat, peccatum haud dubie, nec leviter illud, a quodam vicinæ Academiæ Doctore fuit, qui publico quidem scripto, sed privata sententia, (solent enim novarum rerum studiosi, auctoritate publica suam ad libidinem abuti, quo tanto plurum deinceps jactare consensum possint) de Illuminatione sic disputat: *Spiritus S. NB. postquam sese fidelium insinuavit mentibus, (quæ quidem est manifesta gratiæ inhabitantis descriptio) novæ in iis, spiritualis putat, ac divinæ vite auctor est, τὸ πνεῦμα γὰρ ἐστι τὸ ζωοποιῶν.* Incipit autem vita illa a nova luce in mente per *Spiritum S. accensa.*

§. XVI. Quid enim? Num 1.) homines sunt *fideles*, antequam credant? Id vero ex his verbis haud difficulter colligitur. Dicitur enim *Spiritus S. fidelium sese mentibus insinuasse*: & tamen *postquam sese insinuavit, novæ demum vitæ in illis auctor est, cuius initium est notitia salutaris, quæ ingreditur fidem, & ex parte constituit.* Aut igitur fides dabitur ante fidem: vel fides absque notitia, quod utrumque absurdum est. Porro 2.) *Spiritus S. postquam sese fidelium mentibus insinuavit, novæ in illis vite auctor est, quæ incipit a luce nova, vel illuminatione.* Gratia ergo illuminans, & docens inhabitantem sequetur, per Doctoris illius sententiam. Atqui *Spiritus S. non ingreditur animam malitiosam, Sap. I, 4. 5.* quem locum ipse adversarius urget, tantum, quo illuminationem absque renovatione esse non posse doceat. Et tamen *ante illam vitam novam sese insinuavit mentibus, de sententia Doctoris, quoniam scribit, Spiritum, postquam sese insinuaverit mentibus, demum novæ vite auctorem esse:* Ergo *Spiritus S. vel ingreditur animam malitiosam, quod negare videri vult adversarius, vel falsum est, quod scripsit, Spiritum,*

ritum, postquam sese insinuavit fidelium mentibus, novæ vitæ auctorem esse. 3.) Pater, Filius, & Spiritus S. veniunt ad eum, qui Christum amat, & verba ejus observat *Job. XIV, 23.* Sed Spiritus S. secundum Doctoris illius sententiam prius sese insinuat hominum mentibus, quam nova iis vita indita, nova in iis accensa lux fuerit. Christus ergo prius amatur, quam cognoscitur, & homo ante a DEO inhabitatur, quam hujus verba servaverit. Quod utrumque falsissimum est. 4.) Postremo Christus habitat per fidem in cordibus nostris *Eph. III, 18.* & adversarius fatetur, Spiritum S. fidelium sese insinuare mentibus. Sed vero postquam sese insinuavit, tum demum novæ vitæ, novæque lucis in iis auctor est. Ergo vel dabitur inhabitatio DEI sine fide, quod est fanaticum, vel fides absque notitia, & lumine in mente hominis accenso, quod est absurdum. Tot nimirum se difficultatibus implicant, quotquot matæologiae Mysticæ placita, quam Scripturarum oracula, sequi malunt, & tum demum deliciari sibi videntur, quando Viris innocentissimis, opinione tamen ipsorum αἰπετιστοῖς, aliena licet sub persona, insultare possunt.

§. XVII. Gratia igitur illuminans, seu Docens, cum reliquos gratiae applicatricis actus, conversionem nimirum, regenerationem, & justificationem, tum sigillatim inhabitatem Spiritus S. & renovationem, in adultis, ordine temporis antecedit. Quod ipsum tamen de illa potissimum gratia Docente intelligendum est, quæ notitia salutari concipienda inservit. Nam quæ fidem plenam concomitatur, aut sequitur, adeoque in fide, & juxta fidem incrementa sumit, illam post regenerationem, & ceteras sanctificandi rationes collocari debere, jam supra monuimus. Crescere enim jubemur in fide, non modo qua fiduciam, sed & imprimis qua notitiam 2. *Cor. X, 15.* ne simus amplius pueri τῶν Φρεσὶ

*1. Cor. XIV, 20.* Crescere jubemur in scientia DEI *Epb. I, 17.*  
*Col. I, 10.* crescere denique in gratia, & cognitione Domini  
 nostri, & Servatoris J. C. *2. Petr. III, 18.*

§. XIX. Ceterum hæc ipsa *Docens* gratia, de qua disputamus, principaliter a DEO proficiscitur, ita ut Patri, Filioque, ac Spiritui debeatur. Est enim a.) institutio, vel illuminatio nostra, *opus quoddam ad extra*, ut loquimur in scholis, adeoque, secundum receptam regulam, indivisum. Præterea b.) *omnipotens* mediorum salutis ingreditur, quæ ab omnibus in DEO personis originem dicit. Atque ut c.) gratia omnium est personarum; ita & dispensatio, & applicatio illius. Accedit d.) quod verbum Dei, per quod docemur, Ministerium item Ecclesiasticum, ab iisdem dependet. Denique e.) ad salutem vergit humani generis, quam non uni tantum, sed omnibus in DEO personis, acceptam ferre debemus. Itaque Dominus ipse: Doceo Te, inquit, proficere, & deduco te in via, qua ambules *Jes. XLVIII, 17.* Et David: Bonus & rectus Jehovah, idcirco docet peccatores viam; Facit, ut incedant mansueti ex jure, & docet mansuetos viam suam, *Psal. XXV, 8. 9.* Eandem sibi gratiam expectebat a Domino, hoc Psalmo v. 4. vias tuas, Jehovah, notas fac mihi, semitas tuas doce me, conf. *Psal. CXLIII, 10. CXIX, 26. 64. 68. 108. Jes. XXVIII, 26.* pro eaque accepta gratias agebat *Psal. CXIX, 7.* Conf. omnino *Form. C. c. p. 926. edit. Lips. in 4.*

§. XIX. Speciatim tribuitur Patri, qui, ut jussit e tenebris lucem illuiscere, ita quoque luxit in cordibus Apostolorum ad revelationem notitiae coram facie J. C. *2. Cor. IV, 6.* Hic Pater est luminum *Jac. I, 17.* & DEVS Domini nostri J. C. pater gloriæ, qui dat spiritum sapientiæ & revelationis, per agnitionem sui, & illuminatos oculos mentis nostræ,  
 ut

ut sciamus, quæ sit spes, ad quam ille vocavit Ephes. I,  
vers. 17.

§. XX. Filio dupli modo competit. Primo a.) *meritorie*, quoniam seipsum sanctificavit pro nobis, quo & nos sanctificemur per veritatem ejus Job. XVII, 19. Omnia enim nobis donantur propter Filium Rom. IX, 28. a cuius plenitude sumimus χάριν ἀντὶ χάριτος Jo. I, 16. Deinceps b.) *effective*. Ideo enim appellatur λόγος, quia inde a condito genere humano, ejusdemque lapsu, perpetuus prope fuit divinæ voluntatis interpres, missusque in carnem omnia nuntiavit nobis Jo. IV, 25. tanquam magnus ille Propheta Patribus promissus, Deut. XXXIX, 18. Jo. VI, 14. & Doctor ἀπόστολος Θεοῦ εἰληλυθώς Jo. III, 2. verax & viam DEI in veritate docens Matth. XXII, 16. docens ως εξετισμὸν ἔχων Marc. I, 22. Hanc gratiam cum ipse dispensavit olim docens in scholis Galilææ, nec non Hierosolymis in templo, & alias, tum adhuc dispensat, vi munieris sui Prophetici, per quod non solum Doctores sibi in Ecclesia legat, sed & legatos dotibus suis ornat, verbum vero ab iis propositum efficacia sua armat, ac instruit Eph. IV, 11. Marc. XVI, 20. Jes. XXXIII, 22.

§. XXI. Per ἴδιοποίησιν Spiritui S. adscribitur, quippe in quo institutio, vel illuminatio, tanquam actio a tota Trinitate procedens ultimo terminatur, tanquam Spiritu veritatis, docente nos omnia, & suggestente nobis omnia, quæcumque mandavit Christus, Jo. XIV, 26. Pater igitur, & Filius, docent nos mediante Spiritu suo, quandoquidem non loquitur aut docet a seipso, sed quæ audiit a Patre, & Filio Jo. XVI, 13. Ea de causa dicitur Spiritus sapientiæ ac intellectus Jes. XI, 2. Scientiæ ac revelationis Eph. I, 17. testificationis de Christo Jo. XV, 26. denique disciplinæ Sap. I, 1. hoc magis, quod medium docendi homines ordinarium, verbum nempe DEI,

five

sive Scripturam S. condidit, eandemque per sanctos Dei homines adornari curavit 1. Sam. XXIII, 2. Luc. I, 77. 2. Pet. I, 20.

§. XXII. Alioqui Doctor est non modo a.) *primarius*, & summus, ad quem ipsis quoque *hypodidascalis*, nedum discipulis, est recurrentum perpetuo; sed & b.) *unicus*, si εξοχὴν, & efficaciam independentem spectes, eodemque a-deo gradu, quo Christus sibi vindicat, Matth. XXIII, 8. hoc titulo cohonestandus. Est præterea c.) *perspicuus*, qua verbum, quod simile est lucernæ in loco caliginoso lucenti 2. Pet. I, 19. & eo usque dilucidum, ut vel ἀπὸ Βρέφες possit intelligi 2. Tim. III, 14. d.) *Solidus*, quod primum elementa proponit, ac fundamenta jacit, hinc πρὸς τελεότητα pergit Ebr. V, 15. VI, 2. e.) *Sufficiens*, ob Scripturam Θεόπνευστον, quæ utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad institutionem quæ est in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfecte instructus 2. Tim. III, 17. Denique f.) *fidelis* nihil dissimulans eorum, quæ ad salutem sunt cognita necessaria, & aperiens πᾶσαν βελήν τὰ θεῖα Act. XX, 27.

§. XXIII. Idem Spiritus gratiam suam dispensat per *Ministros*, quos sibi velut ὑποδιδυκάλες legavit. Funguntur enim legatione pro Christo 2. Cor. V, 20. Hos non modo in Ecclesia constituit Episcopos ac Doctores Actor. XIII, 2. XX, 28. sed & dotibus suis ornat ac instruit 1. Cor. XII, 4. 5. 6. 2. Cor. III, 5. Ac licet *privatim* etiam mater filium, & avia nepotem, 1. 5. docere possit, exemplo Loidis, & Eunices, 2. Tim. III, 13. *Publice* tamen nemo sibi sumere has partes debet, nisi missus a Spiritu, per vocationem legitimam, utut mediatam, Jерем. XXIII, 30. Rom. X, 14. Ebr. V, 4.

§. XXIV. Horum igitur opera Deus in instituendis hominibus *ordinarie* uitur, & misere falluntur hoc tempore, quotquot vel ab ipso Deo, sine medio, per somnia, visiones, & ecsta-

ecstasēs, vel per angelos, vel alio quocunque modo, *extra ordinem*, de rebus sacris vel doceri cupiunt, vel doceri se posse putant. Habemus enim Mōsen & Prophetas, Scripturas, & Scripturarum fidos interpres, ac doctores, hos audiamus *Luc. XVI, 19.* Deus non frustra in Ecclesia constituir post Apostolos, & Evangelistas, etiam Pastores & Doctores, eo usque duraturos, donec perveniamus omnes ad unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, *Eph. IV, 12.* quod quidem in æterna deum vita futurum esse, recte ad h. l. *Baldinus* observat.

§. XXV. Fanatica vero subtilitas est, cum Zierollo, *Lango*, & horum sociis, inter θεοδιδάκτορες, καὶ ἀνθεωποδιδάκτορες velle distingvere. Idem enim, qui hoc tempore sunt ἀνθεωποδιδάκτορει, sunt quoque θεοδιδάκτορει, dummodo suis a Doctoribus veram, divinæque revelationi conformem, doctrinam imbiberint: & iidem, qui nunc sunt θεοδιδάκτορει, sunt quoque ἀνθεωποδιδάκτορει, quoniam a Deo instituuntur per homines, nisi forsan ἀυτοδιδάκτορες pro θεοδιδάκτορεis habere velimus, cuiusmodi tamen nostra in Ecclesia, vel omnino nulli, vel certe paucissimi fuerunt. Saltem a Deo docti non opponendi sunt iis, qui ab hominibus sunt docti, quum Deo visum sit, agere cum hominibus per homines, οἰκονόμους nimirum suæ gratiæ. *I. Corintb. IV, 1. I. Thess. I, 6. coll. c. IV, 9.*

§. XXVI. Non est, cur quis cum Weiglio, Tremulis, & recentioribus quibusdam fanaticis, ad illud Joanneum *I. Epist. II, 27. non opus habetis, ut quis vos doceat*, sese recipiat. Si enim hæc verba, quod urgent novatuentes, fuerint resecanda ad vivum, tum sequetur, *Joannem ipsum* rem supervacuam egisse, quod studuerit suos per epistolam confirmare in doctrina, qua tamen illi, ob beneficium unctionis, seu illuminationis divinæ, & ejus quidem immediatae, Docto-

re non indiguerint. Loquitur ergo Apostolus partim de *plenitudine*, ac *sufficientia* doctrinæ, quam acceperint, cui quo ad inhærent, novo quodam Doctore, a quo plenius, melius, aut perfectius instituantur, non opus habeant, partim de *luculentis* eorum, ad quos scribebat, in religione *profectibus*, qui tanti sint, ut quum dix̄ τὸν χερόν ipsi facti sint διδάσκαλοι, alieno magisterio carere jam posse videantur. *Ebr. V, 12.*

§. XXVII. Neque vero *honoris* tantum causa, improprieque, ac *equivoce*, ministri Ecclesiarum nostrarum *Doctores* appellantur, quod sanctuli quidam statuunt, *Spenerum* suum secuti. Illuminatio enim, procul tempéramento, tribuitur Paulo *Act. XXVI, 18.* nec magis, qui bene instituunt homines, æquivoce sunt *Doctores*, quam Petrus & Paulus æquivoce sunt *Apostoli*, aut Matthæus & Lucas *Evangelista*, quoniam cum his conjunguntur Doctores *Ephes. IV, 11.* Quam vere ergo DEVS nos docet ἐξοχικῶς & *principaliter*, seu eminenter, tam vere homines nos docent διαινοντῶς, & *ministratraliter*, tanquam collaboratores, & συνεργοὶ τῆς Θεᾶς *I. Cor. III, 9.* *2. Cor. VI, 1.* Nec alia nunc actione Deus, alia homo, instituit: sed Dei potius actio in hominis ipsius actione intime includitur, ita ut, docente ministro, Deus ipse nos doceat, sed per ministrum, *Mattb. X, 20.* *Luc. X, 16.*

§. XXIX. Aliquando DEVS ministerio quoque *magorum* hominum in Ecclesia utitur, salva gratiæ docentis, verbiq;e, quod proponitur, efficacia. Hæc enim non a conditione aut qualitate Doctoris *secundarii*, sed *primarii*, Spiritusque S. influxu dependet. Et licet ἐπηγαγόμενοι τὴν ἀνομίαν, non agnoscantur a DEO, gratiæ nimis, benevole, & approbative *Mattb. XXV, 12.* *Psal. I, 8.* *Io. X, 15.* *2. Tim. II, 19.* possunt tamen per *nomen*, i. e. auctoritatem, & efficaciam Domini prophetare, miracula perpetrare, virtutes edere  
*Mattb.*

*Mattb. VII, 22.* notitiamque omnium mysteriorum, ipsamque adeo fidem miraculosam, habere, absque salutari, quæ operatur per charitatem *i. Cor. XIII, 2.* Itaque Christus ipse olim ablegabat Judæos ad Pharisaos & legis peritos, sedentes in cathedra Mosis, & docentes, quæ essent facienda, utut ipso non facerent, & jubebat homines Doctorum obedire sermonibus, sed abstinere exemplis, quum nonnulli recte aliquando doceant, & pessime vivant. *Mattb. XXIII, 5. seq.* Ne quid de Bileamo in veteri, vel Iuda proditore, in novo fœdere addam.

§. XXIX. Errat igitur ὁ δεῖνος, qui vita sanctimoniam esse quoddam veri Doctoris προστιμουμενον esse statuit, causatus: si Christianorum vulgarium requisitum esse sanctimonia vita, cur non multo magis Theologorum, qui sint Doctores Christianorum? Non frustra dicere Apostolum: opertore Episcopum esse irreprehensibilem, *i. Tim. III, 2.* Ipsam Theologiam esse τὴν κατ' ἐυσέβειαν διδασκαλίαν *i. Tim. VI, 3.* esse τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας τὴν κατ' ἐυσέβειαν *Tit. I, 1.* Idem sentiunt Pietisti & Kahlenses apud Löber, in H. E. Orlam. p. 217. & Argentoratenses, teste B. Zentgrafio im Bericht. p. 222. D. Breitbaup in Disp. de vera rerum div. not. D. Zierold. pecul. lib. von Unterscheid der wahren und falschen Theologie. D. Meurer. Stendal. in Idea S. Theol. pag. 2. J. Langius in T. I. Observ. p. 108. 113. nec non in Medic. Mentis pasim. M. Arnoldus hinc inde, D. Thomasius in Apol. germ. ejusque pullus Brenneisen in der Ehren-Rettung p. 34. Dippelius c. B. D. Mayerum, cetera denique sanctulorum turba. Est enim hæc opinio velut communis quedam illorum tessera, qui hoc tempore μόρφωσιν τῆς ἐυσέβειας habent, virtutem vero ejus abnegant, idque impie sentiendo, ac scribendo, satis ostendunt.

§. XXX. Etsi vero nos ipso non modo ab iis, qui jam  
C 2 sunt

sunt publici Doctores, sed & iis, qui tales evadere volunt, requirimus, idque multo forsan, quam ipsi adversarii, diligenter, ac studiosius, inculcamus, ut vitae morumque innocentiam cum doctrinæ sinceritate conjungant; ne, quod una manus ædificant, altera destruant, aut similes iis fiant, qui olim Noachi fabrieabantur arcam, quam ipsi non ingrediebantur; negamus tamen sanctimoniam vitae sic necessariam esse Ecclesiæ Doctori, ut essentiale illius sit προστέμπενον, vel hujusmodi, sine quo quis verus Ecclesiæ Doctor esse, vel audire non posse.

§. XXXI. Meminisse enim debemus a.) Doctorem Ecclesiæ suo in foro geminam, sustinere personam, alteram, ministri salvaturi, alteram, hominis salvandi. Priore modo spectatus, est *idoneum* Ecclesiæ organon, posteriore, est verum Ecclesiæ membrum. Illius respectu systematum scriptoribus dicitur *subjectum inhesionis*, & attenditur in *Præcognitis*: Hujus, *subjectum Operationis*, & consideratur in ἀνθεωπολογίᾳ, & parte *Theologiae secunda*. Pro diversitate personæ etiam alia, atque alia illius occurrunt προστέμπενον. Qua Minister Ecclesiæ & Organum, requiritur, ut dicit τὴν ἔξη habeat sensus exercitatos ad discretionem boni & mali, *Ebr. V. ult.* & sit δυνατὸς ad redargendum τὰς ἀντιλέγοντας, *Tit. I. 9.* denique ad omne opus bonum, in docendo, redargendo, castigando, consolando, perfecte instructus. *2. Tim. III. 17.* Qua membrum Ecclesiæ, fidem in primis oportet, quia sine fide impossibile est placere DEO. *Ebr. XI. 6.* Tum vero & DEUM, proximumque amet, quia fides per charitatem operatur, *Gal. V. 6.* in id denique incumbat, ne jure possit reprehendi a quoquam, quod urget *1. Tim. III. 2.* Apostolus.

§. XXXII. Hac de causa b.) distinguendum putamus  
inter

inter dona Spiritus S. ministrantia, & sanctificantia. Neutrum genus alterum necessario includit. Namque & sanctificantia sine ministrantibus, quod adversarii fatentur, & ministrantia sine sanctificantibus esse possunt, cum quis explanare Scripturas, futura prædicere, miracula perpetrare, virtutes denique edere, procul salutari fide, procul solida charitate, queat. *1. Cor. XIII, 3. Matth. VII, 22.* Ratio est, quod ministrantia, cum sanctificantibus collata, instar mediorum sunt, hæc finis. Conferuntur enim dona ministrantia hominibus, in iisque habitus Theologicus, πρὸς τὸν καταργητισμὸν τῶν ἀγάλων, εἰς ἔργον δικαιονίας, εἰς οἰκουμένην τὸ σώματος τῷ Χριστῷ Ephef. IV, 12. eademque se exerunt per prophetias, miracula, & virtutes, quo alii fidem in Christum salutarem concipient, ad quam vero accendendam ipsa docentium fides salvifica parum aut nihil confert. *1. Cor. VII, 29.*

§. XXXIII. Distinguendum c.) porro est inter boni Christiani officium, & veri Theologi requisitum. Non enim quæ ab homine Christiano, eadem a Theologo, & vice versa, ob diversitatem finis utriusque, & scopi requiruntur. Scopus Christiani hominis est, non alios, sed seipsum, salvare. Fide igitur, tanquam unico salutis recuperandæ subsidio, carere idem non potest Ebr. XI, 6. Rom. XIV, 23. Theologus vero non tam suam, utut hanc negligere sit nefas, quam aliorum salutem, pro scopo habet. Hujus autem procurandæ medium non est ipsius Theologi subjectiva, & inhaesiva fides, sed dispensatio legitima verbi, & Sacramentorum. Ad quam sicut accurasier rerum divinarum notitia requiritur; sic ad obtinendum Theologi finem sufficerit in eadem egregie proficisse. Fide propria non ob aliorum, sed suam ipsius, salutem indiget, qua si caruerit, non is quidem fuerit bonus Christianus, quem suam ipsius salutem negligat, esse tamen po-

terit *sanus Theologus*, quum διὰ τὴν ἔξιν sensus exercitatos habeat ad discretionem boni & mali *Ebr. V. ult.* eritque adeo, & appellabitur verus Ecclesiæ Doctor, eodem illo jure, ac merito, quo verus bonusque audit *Medicus*, qui artem bene medendi tenet, eandemque non sine fructu aliis applicat, etsi suum ipsius corpus negligat, nec, urgente licet necessitate, curet.

§. XX XIV. Distinguendum est d.) inter *Fidem Christianam, & habitum Theologicum*. Quæ duo, cum quidem sint diversissima, misere novaturientes confundunt. Itaque *D. Meurerus* in Idea Synop. Theol. ex Ep. ad Tit. §. 1. Theologiam describit, *quod sit fides Electorum Dei, & experimentalis, vel affectiva cognitio veritatis ejus, qua est juxta indolem, & normam pietatis sub spe vite æternae*. Nec vel hilo meliora docet *D. Henr. Majus* in Theol. Luther. p. 30. errore tam crassfo, tamque notabili, ut vix ferendus in doctore Theologo videatur. Enimvero differt fides a Theologia, primo quidem, qua notitiam, ut pars a toto, quum hæc præter notitiam promissionum Evangelicarum, in quibus collocatur fiducia, multarum quoque aliarum rerum cognitionem involvat. Tum vero habitus Theologicus in mente ac intellectu, non autem voluntate, proxime ac immediate, quærendus est, idque vel ex uno *Calvio* in *Isagoge*, poterat addisci. Fides autem, qua Electorum est, & salvifica, non in intellectu, sed affectibus & voluntate locari debet. Porro Theologia sese habet ad modum *habitus*: Fides ad instar *actus*, apprehendentis Christum cum suis meritis. Denique fides & Charitas, si recte considerantur, sunt effectus Theologiae, quæ tradit Evangelium, ut homines ex eo fidem concipient, & charitatem ostendant. Ad essentiam igitur vel habitus Theologici, vel veri Ecclesiæ Doctoris revocari non potest, quum finis & effectus,

fit

sit extra rei essentiam, nec causæ externæ cum internis debeant confundi.

§. XXX V. Ad loca Scripturæ, quæ pro se suaque opinione attulit adversarius, facili negotio respondebitur. Enimvero si Paulinum illud oportet *1. Tim. III, 2.* esse essentiale quoddam Episcopi doctoris, qua talis, προσκέμενον infert, sequitur, etiam τὸ maritum esse, ad essentialia illius προσκέμενα pertinere, quoniam cum irreprehensibilitate *l. c.* immediate conjungitur. Quo pacto autem *Nic. Ambsdorius, Nic. Hausmannus*, & præstantissimus quisque ex Patribus, quos conjuges nunquam duxisse constat, verorum doctorum numero fuerint eximendi. Quod ad reliqua, Theologia dicitur ἐπίγνωσις ή καὶ ἐυτέλεια, non quod a sanctimonia & charitate separari non potest, sed quod ad pietatem & sanctimoniam dicit. Κατὰ enim alicubi in Scripturis non formale quid, aut essentiale προσκέμενον, sed finem & scopum insinuat, quod patet e *1. Cor. XI, 21. Col. II, 8. 2. Tim. I, 1.* Num vero ex hoc, quod Theologia ordinarie, & per se, ad pietatem ducit, inferre fas sit, veram Theologiam, aut verum Theologum, absque pietate esse non posse, ipse adversarius apud se arbitretur. Saltem is non desinit verus esse Medicus, qui alias sanat, seipsum negligit: aut verus οἰκονομικὸς, seu Oeconomics doctor, qui regulas bene gubernandi familiam, & felicitatem obtinendi domesticam, aliis præscribit, suæ autem ipsius domui male propicit, & rem familiarem negligenter tractat.

§. XXXVI. Ipsa ceteroqui gratia Docens *1.)* extra Ecclesiā non datur. Hanc enim sibi Deus velut statam, fixamque ac ordinariam scholam, constituit, in qua illi omnes docendi sunt, qui sua de salute institui cupiunt. Est enim Ecclesia σῦλος ἡ ἐδράσιμα τῆς ἀληθείας *1. Tim. III, 16.* ad quam, ut olim prope templum Hierosolymis, e columna quadam, suspensa

spensa sunt verbi divini tabulae. *Jes. XXX, 8.* Ad hanc igitur recurrat, quisquis inspicere mysteria, & voluntatem Dei nosse voluerit. Hæc domus Dei est *I. Tim. III, 25.* Frustra igitur extra eandem bonorum spiritualium dispensatio, & oīnōvūia vel expectatur, vel queritur. Hæc est templum Dei *2. Thessal. II, 13.* in quo Deus non modo sedet, & habitat, sed & docet, ut olim in Synagogis Galilæa, & templo Hierosolymitano, conf. *Luc. XIX, 47.* *Io. XIIIX, 20.* Addo, 2) quod homines instituuntur, ut salventur, secundum illud Angeli: Petrus loquetur Tibi verba, in quibus salvus fias, tu, & universa dominus tua, *A&T. XI, 14.* Extra Ecclesiam vero non est speranda salus. Tum vero 3) gratia docens includit verbum, quod docendo proponitur. Ecclesiæ vero credita sunt τὰ λόγια τῷ Θεῷ, *Rom. III, 5.* Hinc 4.) dicitur Jerusalem ἡ ἀνω, e supernis, mater omnium nostri, *Gal. IV, 26.* Jerusalem quidem, quod ex ea egressi sunt gentium omnium doctores, *Jes. II, 3.* *Marc. XVI, 2. ult.* Jerusalem ἡ ἀνω, quia non modo in sublimi, excelsoque loco est posita, *Matth. V, 34.* sed & sublimia, excellencia, & coelestia docet, *Io. III, 4.* *Phil. III, 24.* quæ nos ad patrem coelestem remittit, spretisque terrenis, & fragilibus τὰ ἀνω sapit, & curat, *Col. III, 2.* Mater nostri omnium, a qua, ut Timotheus olim ab Eunice ac Loide, non modo generamur, sed etiam docemur.

§. XXXVII. Hanc ad scholam invitantur omnes homines, *Matth. XI, 28. cap. XXVIII, 19.* *Marci XVI, 15.* *Rom. X, 18.* Deus enim, voluntate antecedente, vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *I. Tim. II, 4.* Qui ergo datus est Christo a Patre, is venit ad eundem, & venientem non ejicit foras. *Job. VI, 37.* Quotquot autem veniunt, hi vel ignari sunt, ac rerum omnium rudes, ut gentes olim, quæ ambulabant in vanitate mentis suæ, tenebris obscuratum haben-

habentes intellectum, propter ignorantiam, quæ est in natura ipsorum, propter cœcitatem cordis ipsorum, *Eph. IV, 17. 18.*  
*1. Cor. II, 14.* vel *erronei, & falsi*, exemplo Sadducæorum, qui in capite de mortuorum resuscitatione errabant, nescientes Scripturas *Mattb. XXII, 29.* vel denique fluctuantes, ac *dubii*, ut Nicodemus *Job. III. & Corinthii, 1. Cor. VII, 1. sq.* Ignorantia enim, errores, & scrupuli, tria illa sunt monstra, quæ per gratiam Spiritus S. docentem sunt debellanda.

§. XXXVIII. Ineptiunt igitur, quotquot illuminationis veræ objectum personale *fideles* constituunt. Quid enim hoc est aliud, quam *doctos* fingere homines, *antequam doceantur*, quum sine doctrina ne concipi quidem fides possit ab homine. *Dociles* esse oportet, non *doctos*, quibus per hanc gratiam a Spiritu S. consuli debet. *Dociles*, inquam. Nec enim ulli *obtruditur* gratia, sed *offertur*. Quod si ergo rejecta non fuerit, sed potius ejusdem Spiritus virtute admissa, tum gratia gratiam sequitur, donec integer sanctificationis complexus absolvatur. *Luc. VIII, 18. XIX, 26.* Si quis vel doctrinæ sese subduxerit, vel aures suas obstruxerit, aut Spiritui Doctori, nec scio quæ, præjudicia opposuerit, is vero ad eos referendus est, qui semper discunt, nec tamen ad cognitionem veritatis perveniunt. *2. Tim. III, 5. Act. XIII, 46.*

§. XXXIX. Utut vero sint multi, qui notitia, quam imbibierunt, efficaciam, ad voluntatis emendationem, ipsamque adeo *fidelie* conceptionem, pertingere non sinunt, hæc ipsa tamen fructus, a notitia expectandi, interceptio non obstat, quo minus iidem *gratia docentis* vere compotes facti dici possint. Nec enim est de essentiâ veræ doctrinæ, ut eidem semper in discentibus respondeat effectus, quum contrarium cotidie observemus in scholis. Falsus igitur est ò dëivæ, qui negat *renovationem ab illuminatione posse separari*, nec non

Zieroldus, qui tota proœm. *Dissert. Synopsis* & præmissa, inculcat, voluntatis emendationem, fiduciam, & charitatem, a vera illuminatione abesse non posse. Nec sufficit, quod urget, p. 44. *impium Christo esse inobedientem*, eaque de causa veræ gratiæ expertem. Meminisse enim debebat, quod homo impius Christo quidem non obediatur, qua voluntatem ejus faciendam, obediatur tamen, qua voluntatem cognoscendam. Dantur enim servi, qui revera sciunt voluntatem Domini, sed non faciunt, & γνῶσις absque charitate esse potest, *Matth. VII, 29.* *Luc. XII, 47.* *1. Cor. XIII, 3.* Ut vero hæc ipsa cognitione & γνῶσις a Spiritu Doctore proxime & immediate intenditur; sic quisquis eidem non repugnat, gratiæ illuminantis fit compos, et si lumen ab intellectu oblatum a voluntate ad sui emendationem non admittatur.

§. XL. Solet alioqui Spiritus S. *discipulos* suos in νηπίοις, ἢ τελείοις distingvere, prorsus scholarum more. Ut enim in his ali sunt elementarii, & tyrones, qui prima literarum rudimenta ponunt: alii vero *proiectores*, quiue jam nonnullos profectus fecerunt in literis; ita etiam Christianos inter alii parum, alii multum, in cognitione rerum sacrarum, proficiunt. Illi laetè Catechetico nutriuntur: his *solidus cibus* apponitur, *1. Corinth. III, 2.* illi circa ποικίλαι, & fundamenta versantur: hic διὸ τὴν ἔξι sensus exercitatos habent, ad discretionem boni & mali, & πρὸς τελεότητα feruntur, *Ebr. V, 12. sq. VI, 1.*

§. XLI. De utroque tamen discentium ordine id noto, quod non modo qua notitiam in mente, sed & qua fiduciam ac sanctimoniam in voluntate in tot classes distribuantur. Dantur enim utrobique profectus. Itaque hic aut ille potest esse qua notitiam τέλειος, ita ut sibi videatur esse Dux coecorum, lumen in tenebris versantium, eruditor insipientium, doctor imperitorum, & tamen veræ in Servatorem fiducia,

ac

ac sanctimoniorum in voluntate expers, *Rom. II, 19. 20.* Posunt vero invicem alii qua fiduciam, & sanctimoniam, esse τέλειοι, qui tamen qua notitiam sunt νίκηται, exemplo Ebraeorum *cap. V, 12.* Utique gratia Spiritus S. docente fruuntur, quatenus emendationem intellectus per liberationem ab ignorantia, erroribus, & dubiis, immediate producit, fiduciam vero ac emendationem voluntatis producere intendit.

§. XLII. Docemur autem hodie non per silentium quoddam internum, vel mentis ab omni meditatione abstractionem, aut evacuationem, ab omnibus creaturis, ut Mystici, fanaticique somniant; sed per medium ad docendos homines divinitus ordinatum, nempe per *Scripturam*, quae nobis est instar omnium, tanquam liber Jehovæ, *Jes. XXXIV, 16.* qui continet τὰ λόγια τὸ Θεὸν, *Rom. III, 5.* Hujus lectioni perpetuo est attendendum *1. Tim. IV, 13. 2. Petr. I, 19.* Nisi enim hoc fecerimus, non erit nobis matutina lux, *Jes. IIIX, 20.* Immediata doctrina, & suggestio, clauso jam, & obsignato Canone non est expectanda. Habemus Mosen & Prophetas hos audiamus, *Luc. XVI, 29. conf. Luc. VIII, 15. Act. XVI, 14. Epb. I, 9. 10. 17. 18. Col. I, 5. 6. 9.*

§. XLIII. Misere igitur falluntur, quotquot hoc tempore a Spiritu S. homines immediate aliquando institui, tum sibi, tum aliis cupiunt persvasum. Volckmeyer, Arnoldini hyperaspistæ, prodigiose fanaticam opinionem in *Disp. de Verbo DEI scripto* attulimus, & discussimus. Ipsius Arnoldi verba, quin afferam, breviterque confutem, temperare mihi non possum. Ita enim in *Nic. Schröderi Erinnerungen etc.* aliqua præfatus von recht geistr. Predigten p. 4. scribit: *Wer ist so unerfahren in dem Wort der Wahrheit, der da nicht wisse, und glaube, daß allein der Heil Geist den ersten Lehrern und Christen alle Worte in den Mund gelegt, und also wahrhaftig*

D2

geist-

geistreiche, und geistvolle Reden geschenket. Mox p. 10. sub-  
jicit: Dergleichen Lebre, und Zug des Heil. Geistes haben denn  
auch die Nachfolger der Apostel zu dem Zeugniß von J. C. er-  
fordert, wann sie bekand haben: Ein Lehrer muß das lebren,  
was er von GOTTE selbst gelernet hat, nicht aber aus seinen  
eigenen Hertzen, oder aus menschlichen Sinn, sondern was  
ihm der Heil. Geist lehret, Origenes homil. VI. in Levit. Et  
p. 12. Weil aber NB. der gemeine Wahn darwider zu seyn pfle-  
get, daß solche Gabe des Geistes NB. nur etwa zu den Zeiten  
der Apostel gemein gewesen, in den folgenden aber, und un-  
sern Zeiten, nicht mehr verheissen sey: Siehe, so bekandten  
auch noch die Lehrer unter dem Verfall eben dieses, was wir  
von den ersten Zeiten der Apostelgeboreten haben: e. g. Grego-  
rius VI. &c. Addit: Es könne auch dieser Grund von den Ev-  
angelischen Christen nicht in Zweifel gezogen werden; weil ja  
ein jeder bekennen müsse, der natürliche Mensch vernimmt  
nichts etc. 1. Cor. II, 14. it. Rom. XIV, 23. Der Heil. Geist müs-  
se uns mit seinen Gaben erleuchten. Idem Lutherum, Mat-  
thesium, alias docuisse.

§. XLIV. Etsi vero facile concedimus, & largimur,  
gratiam Spiritus S. cuilibet non modo Ecclesiam docturo,  
sed & divinas res cognituro, piis precibus exorandam esse:  
negamus tamen, eundem gratie gradum hodie expectandum  
esse, vel obtinendum a quoquam, quo beati olim fuerunt A-  
postoli, primæque Ecclesiæ membra. Act. II, 3. seq. c. X, 47.  
Illi enim immediato Numinis afflatu usi sunt: nos mediaio.  
Immediatum hodie expectandum esse, nec promissum extat,  
nec, post Apostolorum tempora, exemplum. Quapropter  
inter gratiam, qua beati fuerunt Apostoli, & eam qua nos frui-  
mur, plurimum intercedit discriminis. Per Geopveus/ox enim  
sancti DEI homines ad hoc illud ve concipiendum, & his illis  
verbis,

verbis, ac formulis exprimendum, procul omni fallendi periculo a Spiritu S. determinati fuerunt, 2. Pet. I, 21. Iude v. 3. Hodie vero homines edocentur per verbum, vel etiam de hoc illove admonentur, a Spiritu, eidemque ut obediant, excitantur. Scriptura sollicite distinguit inter τὸ φέρεσθαι, & inter τὸ ἀγεδούσι ἀπὸ τῆς πνευματος ἀγίσ. Per illud mere passive se habent homines: per hoc cooperantur Spiritui S. Illud est sanctorum Dei Virorum Prophetarum & Apostolorum, 2. Petr. I, 21. hoc omnium credentium, seu filiorum DEI, Rom. IX, 14. Illud ad constitutionem ipsius normae directum est, adeoque respectu ad eandem non indiget: hoc vero cum perpetua norma applicatione conjungatur, necesse est. Itaque si quem forte Doctorem deprehendimus habere sermones fletendis, movendisque hominum animis aptiores, id vero non peculiari, aut a doctrina verbi externa distinctæ, inspirationi, sed liberiori tantum, minusque impeditæ, verbi illius efficacia, vel etiam profundiori S. literarum scrutinio est tribendum. Nihil utique fingendum est Doctori, quod recte Origenes monuit: nec tamen ille persvasum habuit, a Spiritu S. sine verbo, aut citra & extra verbum, optima quæque expectari debere, quum Scriptura divinitus inspirata jam utilis sit ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia, ut perfectus sit homo DEI ad omne opus bonum perfecte instructus, 2. Tim. III, 17. Loca 1. Cor. II, 14. & Rom. XIV, 23. parum faciunt ad rem, quum animalis homo utique non percipiat ea, quæ sunt Spiritus DEI. Hac ipsa vero de causa, quisque non immediatam ἐλλαμψιν expectare, sed ad Scripturam, & Spiritum S. in eadem docentem, perpetuo recurrere debet. Peccatum esse, quicquid non est ex fide, pariter certum est. Nec tamen ideo putandum, Θεοπνευσιχ opus esse, ut accendatur fides, aut omnia pro-

D 3

mische,

misce, & absolute esse peccata, quæ non sint ex fide. Alio-  
qui sequetur, ipsam quoque fidem, vel ex fide esse, vel inter  
peccata oportere referri. Loquitur ergo Apostolus de *actio-*  
*nibus natura sua liberis*, monetque, eas non esse innocentes,  
vitique expertes, nisi ex certa quadam animi persvassione,  
& firma, solidaque notitia, e verbo concepta profiscantur,  
quod e contextu liquet. Verba *Catechismi Lutheri* semetipsa  
declarant, quum istis : *Der Heil. Geist bat uns mit seinen Ga-*  
*ben erleuchtet*, immedie illa præmissa sint : *Er bat uns NB.*  
*durch das Evangelium berufen*, quo ipso innuitur, ut voca-  
tionem, sic quoque illuminationem, per verbum expectari  
debere.

§. XLV. Nihilo melior Zieroldi sententia est, scriben-  
tis : *Non tantum necessaria est doctrina, quæ præcipitur prædi-*  
*cando, aut legendo ; sed etiam gratia operationis Dei internæ,*  
*sine qua Scripturas vel non intelligimus, vel intellectas non credi-*  
*mus*, in Dissert. Proœm. p. 41. Et p. seq. Pelagiani, ait, tribue-  
bant verbo forinsecus sonanti, quod debetur interna & occulte,  
mirabili, & ineffabili operationi Spiritus S. Non sufficit doctrina,  
sed requiritur inspiratio divina, quæ tum intellectum illuminet,  
ut, quod factō opus est, sciamus, tum voluntati vires conferat,  
ut, quod factō opus est, facere diligamus, & valeamus.

§. XLVI. Cur vero divelluntur ea, quæ Deus conjuncta  
esse voluit ? sunt utique in verbo *externa* ista, literæ, voces,  
sonus : sunt etiam *interna*, sensus, & sensui inhærens efficacia,  
ipsiusque adeo Spiritus operatio. Sed nec litera sine sensu,  
nec sensus sine operatione Spiritus S. datur. Nec enim Deus  
Scripturam *literam* esse voluit *absque spiritu* : aut *sonum* sine  
*sensu* & *efficacia*. Quin potius ista signa spiritu & vita sunt  
animata, nec magis nunc licet fingere *literam absque spiritu*,  
aut *verbum sine efficacia*, quam hominem sine ratione, aut  
ignem

ignem sine luce. Πᾶσα enim χρεφή, adeoque Scriptura complexe sumpta, ne literis quidem, apicibusque exclusis, quandoquidem sunt de essentia scripturæ, est Θεόπνευστος, 2. Timoth. III, 17. A qua quidem Θεόπνευστος uti vis verbi, & efficacia oritur, quoniam ob hanc Spiritus, e verbo, perpetuo quasi ad legentem, audientem, ac meditantem, ut ita loquar, *respirat*; ita doctrina quoque, & id quod externum in verbo est, illa ab operatione & efficacia excludi non potest. Fanaticus homo furore, ac invidia cœcus, Pelagianum dicere audet *verbo fornicatus sonanti illuminationem tribuere*. Pelagianus ergo fuerit ipse Apostolus, qui dicit, fidem esse ἐξ αὐτοῦ. Rom. X, 13. Nec enim video quid inter *verbum extrinsece sonans*, & inter *αὐτὸν vel auditum, ac sonum*, concipi discriminis possit. Pelagius extollebat naturam. Zieroldus, & in vicinia D. J. O. quicquid notitiae ante fidem datur in homine, ad *legem naturamque* refert. l. c. p. 42. sq. Discere nunc velim, quo quis pacto fidem, &, cum fide, illuminationem supernaturalem, ac veram concipiat? Si *absque notitia*, ex revelatione divinæ voluntatis concepta, sequitur eandem *absque medio* ingenerari: quod est *Enthusiasticum*. Si *per notitiam*, tum illa notitia vel *ex natura*, vel *ex gratia* fuerit derivanda. Posterior negat Zieroldus, conceptis verbis statuens, *doctrinam non esse gratiam proprię & stricte acceptam*. Ergo *ex natura*. Si vero notitia est naturæ, & eadem illa notitia fundamenti, seminisque loco substernitur *fiducia*, sequitur, fidem ipsam esse *ex natura*, & cum fide salutem. Hem *Pelagianismum!* conf. omnino Celeberr. Dn. D. V. E. Löfberi *Disputatio de Pelagianismo*.

§. XLVII. Ceterum ut quicquid in Scriptura continetur, ad duo potissimum capita revocatur, *Legem* nimirum, & *Evangelium*; sic utrumque, tanquam *medium* quoddam homines instituendi a Spiritu S. adhibetur. Ac per *Legem* quidem homi-

homines docentur, quæ sua sit post lapsum miseria, quæ magnitudo, gravitasque peccati, quanta sit ira Dei, quantus reatus poenæ, a quo premantur, tantum quo agnoscere peccata, de iisque dolere incipient, *Rom. III, 20. IV, 15. VIII, 7. Deuteronom. XXVII, 26.* Evangelium vero remedia peccati perspicue exhibet, & cum propensam Patris erga genus humanum voluntatem, tum Christum ipsum, Servatorem, cum omni meritorum suorum multitudine, sistit, & exhibet, promissionum divinarum amplitudinem, ac svavitatem insinuat, denique modum liberandi a peccato, & reatu supplicii, per fidem in Servatorem, ostendit. Imo vero non solum hæc omnia exponit, ac docet Evangelium, sed ipsam quoque fidem, & quæ modo cunque ab eadem promanant, operatur ac efficit, dummodo Spiritus S. voluntati fese permittat homo, nec oblatis in Evangelio beneficiis sua se ipsum contumacia privet. *Jes. XXVI, 2. 10. Matth. XXII, 2. & 8. XXIII, 37. Jo. III, 39. Hof. XIII, 9. 2. Thess. II, 9. 10.* Sacra menta vero, Baptismum & S. Coenam e mediorum ordine, ac censu non oportere excludi, Evangelica eorum indoles, & natura satis ostendit. *Tit. III, 5. Jo. VI, 56. 57.* Unde & sigillatum Baptismus apud veteres Φωτισμόν, & Φωτισμὸς dicebatur.

§. XLVIII. Illud hoc loco præterire non debeo, quantum gratia docens per homines dispensatur, Scripturam S. non modo mediæ, sed normæ quoque, ac *Judicis* rationem sustinere. Ex hujus enim præscripto tum concipi, tum concepta examinari debent dogmata, quæ proponuntur ab aliis. Sadducei magis quid corrupta ratio suggesterat, quam quid Scriptura tradiderat de mortuorum resuscitatione docebant. Postulabantur ergo a Domino erroris, *Matth. XXII, 22.* Invicem probare jubet Apostolus omnia, & quæ bona sunt retinere, *I. Tb. ff. V, 21. I. Jo. IV, 1.*

§. XLIX.

§. XLIX. Traditur autem generatim a Spiritu S. nobis quod est *utile*, scilicet ad obtainendam salutem *Jes. XLII, 3.* *jura domini*, seu quæ Deus a nobis credi, & fieri, vel non fieri postulat, *Zeph. III, 5.* *Via juris, & iustitiae*, h. e. doctrina, quæ ad consequendam coram Deo, proximoque, iustitiam facit: *Jes. XL, 14.* *iustitia ipsa*, seu id omne, quod divinæ sapientiæ ac bonitati congruum vñsum fuit, cuius præcipua pars est iustitia J. C. fide apprehendenda, *Jes. LXIII, 1.* *Via domini* i. e. doctrina a Deo tradita, circa Deum occupata, ad Deum directa, *Micah IV, 2.* *Mattb. XXII, 16.* Denique πᾶσα βελτίων τὸ θεός, *Act. XX, 26.* Potissimum vero doctrinæ argumentum est de *Christo*, cuius unius gratia & tota Scriptura est condita, & ex Scriptura traditur, quicquid traditur, *Io. V, 39.* *XX, 31.* *Act. X, 42.* *Eph. II, 20.* De hujus igitur adventu scriptum est in volume. *Psal. XL, 8.* De hujus persona, natura, statibus, officiis, meritis ac beneficiis, testantur omnes Prophetæ, *Job. V, 43.* *Act. X, 43.* Bene igitur faciunt hypodidascalii Spiritus S. si, Apostoli exemplo, annuntiantes μαρτυρίου τὸ θεός i. e. Evangelium de Christo, *Jes. IIX, 20.* non arbitrentur quicquam se scire, nisi Jesum Christum, eumque crucifixum, *I. Corintb. II, 2.* *Act. II, 36.* *IV, 10.*

§. L. *Forma*, ratioque docendi absolvitur *communi- catione verorum conceptuum de Deo, rebusque salutaribus, vel etiam, in generatione vera, divinæque notitie.* In hoc enim omnem institutionem, doctrinamque consistere, est in propatulo. Quos igitur conceptus Spiritus S. verbo scripto exprefsit, eosdem nobiscum communicat per verbum, facitque, ut nostri conceptus de rebus sacris, conformes fiant ipsius Dei, de se, rebusque suis, conceptibus verbo significatis. Hinc gloriabatur Apostolus habere se mentem Domini, scilicet per θεοπνευσιαν, *I. Cor. II, 16.* *VII. ult.* eandemque, ut doctor genti-

um, communicavit per literas cum Corinthiis, non alio consilio, quam ut eorum sententia suæ menti conformis fieret, ac responderet. Conf. Act. XX, 27. Rom. XI, 32. Eph. I, 9.

§. LI. *Effectus* ejus immediatus, & proximus, non est *mutatio hominis e malo in bonum*, ut Zieroldus, homo prodigiouse fanaticus, in *dissert. proœm. p. 53. & 55.* nugatur, hoc enim renovationis, non illuminationis, est beneficium, quum subiectum *justificationis*, (quæ tamen *illuminationem* sequitur,) sit homo *impius*, adeoque nondum bonus, Rom. IV, 4. Non etiam *fides per charitatem operans*, ut D. Ol. persvasum est, quoniam hi *gratiæ perficientis*, & *inhabitantis*, non *prævenientis* aut *exitantis*, ad quas tamen *docentem* revocamus, effectus sunt; sed potius *liberatio ab ignorantia, erroribus, & dubiis, per ingenerationem notitie*, adeoque scientia Dei & rerum divinarum. Simulac enim homini propinati fuerunt divini conceptus, ab eoque non repugnante admissi, tum vero *lumen in intellectu* oritur, ita ut ignorantia, errore, ac dubitationibus ejectis, egregia quædam, & in se salutaris, ac efficax rerum divinarum notitia in eorum locum succedat. Unde & ipsam scientiam ex unctione vel illuminatione derivat Joannes, i. Ep. II, 20. dicens: *habetis unctionem a sancto, & nos sis omnia.* Conf. Act. XXVI. v. 18.

§. LII. Sive autem illa notitia *simplex* fuerit, ita ut intra unius sese intellectus metas contineat, sive *composita*, & cum emendatione voluntatis conjuncta, adeoque *affectata*, & *plena*, est tamen, & manet utrobique I.) *gratiosa*. Zieroldus *Diss. cit.* notitiam, in homine improbo *gratiæ esse negat*, & *solius naturæ esse statuit*, idque tot convitiis, & calumniis contendit, ut vel hoc ipso doceat, sese ad improborum hominum gregem pertinere, atque adeo per suam ipsius hypothesin vera Theologia destitui.

§. LIII.

§. LIII. Nos isti furori opponimus a.) clarissima Scripturæ oracula, *i. Cor. II, 14. i. Cor. I, 21. Eph. IV, 18. Matth. XIII, ii. 15. Luc. IX, 10. Rom. III, 12. Eph. V, 8. Actoꝝ. XXVI, 18. Jo. I, 5. Eph. II, 5. Col. II, 13.* ex iisque cum Formula Christ. Conc. inferimus: quod etiam si ingeniosissimi & doctissimi homines in hoc mundo Evangelium de Filio Dei, & promissiones divinas de aeterna salute legant, vel audiant, tamen ea propriis viribus NB. percipere, intelligere, credere, & vera esse statuere nequeant. Et mox: Scriptura hominis naturalis intellectui, cordi, & voluntati omnem aptitudinem, & facultatem in rebus spiritualibus aliquid boni & recti ex semetipso NB. cogitandi, intelligendi, inchoandi, volendi, proponendi, agendi, operandi, & cooperandi adimit. Vid. p. 923. sq. edit. Lipsi. in 4to.

§. LIV. Huc referimus, cum Libris Symbolicis, b.) omnes sanctorum precatioꝝ, quibus petunt, ut a Deo NB. doceantur, illuminentur, & sanctificantur. His enim precibus fatentur, quod ea, quæ petunt, suis naturalibus viribus habere nequeant. Et quidem David in uno duntaxat Psalmo decies & amplius orat, pro intellectu, ut doctrinam divinam recte capere, & distere possit, ut loquitur Form. C. p. 926.

§. LV. Urgemus porro, c.) quod homines quoque improbi notitia rerum divinarum, posito, quod sit vera, e verbo Dei petita, eidemque conformis est. Atqui vero quis, nisi Zieroldus aliquis, aut Langius, Scripturam Deique verbum, idque ratione nobilioris constitutivi, sensus nimirum Σεπτέμβριον, (quem tamen assequuntur, & imbibunt improbi, & lapsi etiam retinent;) ad naturam, quam gratiam, referre maluerit? Imo verbum Dei dicitur ἡγούμενον & sermo gratiae, non solum quod gratiam offert, sed & ex gratia promulgatus fuit. Act. XIV, 3. XX, 32.

§. LVI. d.) Sacrae literæ fidem in Christum, regene-

rationem, renovationem, & quæ ad illam efficaciter inchoandam, & absolvendam pertinent nequaquam humanis viribus naturalis liberi arbitrii, neque ex toto, neque dimidia, aut ulla, vel minima ex parte, sed in solidum, i. e. simpliciter soli divinæ operationi & Spiritui S. adscribunt, sicut Apologia & Form. C. testantur. Tota enim fides, qua omnes sui partes, est ἐγγονὴ θεοῦ, *Io. VI, 29.* & Christus non modo dicitur τελεωτής, sed & αὐχηγός fidei nostræ, *Ebr. XII, 2.* Atqui notitia etiam simplex, & improbi hominis, est aliquid fidei, & virtualiter fundamentum, mediumque fiduciae, siquidem fides est ex auditu, & inde oriunda notitia, *Rom. X, 14.* Ac licet illa notitia non semper actu ipso fiduciam procreet, ob positum ab homine obicem, procreare tamen poterat, & qua divinam intentionem, debebat. Unde & resipientes non nova discere, sed priorum meminisse, ac recordari in Scriptura dicuntur, ut supra monuimus.

§. LVII. Denique cum inter omnes sanos, vereque pios, constet, quod fiducia notitiam primam ac simplicem non attrahat, sed supponat, & pro fundamento, medioque habeat, sequetur, siquidem simplex illa notitia fuerit aliquid naturale, hominem vel per naturam, vel procul lumine medii, fiduciam in Christum concipere, quod utrumque manifesto fanaticum est.

§. L VIII. Est igitur hominis etiam improbi notitia, dummodo revelationi divinæ conformis sit, minime omnium res mere *naturalis*, sed potius effectus gratiæ Spiritus S. assistentis, qui nunc hominem prævenit, nec opinantem ad amplectenda salutis media invitat, nunc naturalem illius repugnantiam, ne hic atque nunc erumpat, cohibet, nunc denique notitia rerum divinarum beat ac instruit. *Luc. XV, 20.* *Rom. VIII, 7. 9.* *Apoc. III, 20.*

§. LIX.

§. LIX. Eadem notitia, utut simplex, & boni affectus in voluntate expers, est quoque II.) *vera*. Distinguunt h. l. Novatores inter veritatem *Logicam*, & Metaphysicam, seu *Theologicam*, & priorem illam notitiae hominis impii relinquent, posteriorem negant. Sed enim vero per veritatem Metaphysicam, ipsorum quoque adversantium judicio, revera quid est id, *quod esse debet*. Atqui vero notitia vera rerum divinarum talis esse debet, ut conformis sit suo principio, h. e. revelationi divinæ, & quodlibet objectum sic apprehendatur ab intellectu, prout ab eodem apprehendi debet. Cum proinde idem hoc in notitiam hominis impii cadat, idemque adeo notiones primas de Deo convenienter apprehendat, affirmet affirmando, neget neganda, totam denique fidei analogiam teneat, veritas certe Metaphysica de hac ipsa notitia negari non potest. Imo vero conceptus etiam hominis impii, de rebus divinis, posito, quod e Scriptura petiti sunt, *materialiter*, & *quoad rem*, iidem sunt cum conceptibus a Deo per Scripturam nobiscum communicatis. Nuda enim diversitas recipientium non mutat naturam rei in se consideratae. Eadem *aqua* est, & quæ intra alveos profluit, & quæ ex profluente petita est. Idem *semen* est, & quod in rupem, & quod in spinas, & quod in terram bonam incidit. Idem *Dei verbum* est, sive Ebraicis, sive Græcis, sive Latinis literis exprimatur. Idem *conceptus* de rebus sacris sive a Deo, sive ab angelo bono, sive ab homine pio foveatur, non obstante, quod *DEVS* infinite perfectior est angelo, & angelus melior homine. Cur igitur accidentalis affectuum, & voluntatis, in homine differentia ipsam conceptuum in intellectu naturam mutaverit, & ex veris non-*veras* spuriisque reddiderit?

§. LX. Dixerit quis cum Breithauptio in Disput. de vera

E 3

rer.

*rer. div. not. p. 8.* falsum esse, quod homo impius res sacras semper verbo DEI conformiter apprehendat, quandoquidem is, e. g. verba Joannis, 1. Epist. II, 2. Christus est propitatio pro peccatis nostris etc. contra mentem Apostoli intelligat de peccatis non agnitis, cum tamen hic loquatur de propitiatione iusto ordine applicanda. Fieri ergo posse, ut una eademque propositio in intellectu pii sit vera, impii, falsa. Sed enim vero impius illa Joannis verba vel intelligit de propitiationis acquisitione, & sic Christum pro suis quoque peccatis esse propitiationem impius recte statuit; vel de applicatione. Quo potito, si impius Christum esse propitiationem pro suis, utut non agnitis, peccatis esse statuat, tum vero ejus conceptus non conformis est verbo DEI, sed potius difformis.

§. LX I. Excipitur: *Si vel maxime apprehendantur objecta sacra, non tamen integre, nec spiritualiter, & prout Spiritus S. intenderit, eadem apprehendi.* Respondeatur: Objecta integre apprehenduntur ab intellectu, utut integræ apprehensionis integrum fructum non capiat voluntas.

§. LXII. Vrgetur: *verbum DEI non constare verbis solum cognoscendis, sed etiam vi, & efficacia Spiritus Sancti: regnum DEI non esse in verbis; sed in virtute 1. Cor. IV, 20. Rom. I, 16.* sine hac igitur potentia & efficacia qui verbum DEI accipient, hos notitiam ei conformem hanc quam baurire. Respondeatur: Esi notitia impii, verbumque ab eo haustum, non sit efficax actu secundo, ita ut plenam regenerationem, & conversionem conciliet: est tamen efficax actu primo, dum potest emendationem quoque voluntatis & affectuum post se trahere, tracturum quoque actu ipso, simul ac morosa cessaverit repugnantia.

§. LXIII. Dixeris: *Vera illuminatio sine conversione esse non potest. Que enim participatio justitiae cum iniustitate?* aut

*aut quæ societas lucis ad tenebras? 2. Cor. VI, 14. Tenebrae istæ sunt injustitia; lux autem est vera Christi cognitio, qua duo in unam societatem coire nequeunt. Sed enim agit locus, quod ostendit συνάφεια, de vitando cum infidelibus, ob periculum seductionis, commercio. Quid autem hoc ad ostendendum, hominem vere doceri, aut illuminari, quin simul plene convertatur, (id enim h. l. intelligitur,) non posse. Si pro voluntate D. Ol. sit explicandum Oraculum, sequetur, in uno eodemque homine nec carnem, & Spiritum, simul adesse posse. Hæc duo enim non magis videntur in unam societatem coire posse, quam justitia & iniquitas, lux & tenebrae. Est utique neutri cum altero quidquam commercii, ratione sui, & sensu reduplicativo, quoniam sunt immediate opposita; interim quum concurrere possint ratione subjecti, & sensu specificativo, ita ut una eademque potentia in homine ex parte sit illuminata, ex parte caliginosa, quid obstat, quo minus opposita in diversis animæ facultatibus adesse possint, & homo qua intellectum luce gaudeat, qua voluntatem injustitia laboreat?*

§. L XIV. Misera vero facultatum, & potentiarum animæ confusio est, quod vitia voluntatis, & exorbitantiae affectuum, ad tenebras, & mentis caliginem ab adversario referuntur, quum ipse usus probet, posse quem vere solideque nosse, quid sit castitas, mansuetudo, modestia, et si libidinibus, ira, superbiaque, indulgeat. Planta equidem gustu & odore, sed, & hyberno imprimis tempore, visu, & aliorum testimonio, cognoscitur. Si quis dixerit societatem sese babere cum Christo, (hinc moralem, hinc mysticam,) & ambularit in tenebris, impie vivendo, is utique mentitur, i. Job. I, 6. quia dominium peccati cum statu gratiae conciliari non potest: non tamen mendax fuerit, dicendo, se nosse, quomodo *beat*

beat in luce ambulare, ut ut de facto in tenebris ambularit.

§. LXV. Veram DEI cognitionem in ea consistere, ut intelligatur practice; cum esse meram gratiam &c. falsum est, quum praxis non forma sit verae cognitionis; sed fructus, eandemque non constituant, sed sequuntur, ac indicet. Quod si omnis cognitio mysteriorum vera, & spiritualis a sensu & experientia incipit, ut loquitur Lipsiensis, quid fiet de iis, quæ sentire & experiri in gratiae regno non possumus? Nihil igitur vere, ac spiritualiter, de existentia & officiis bonorum angelorum, nihil de Servatoris conceptione, nativitate, personali ministerio, passione denique ac evectione ad cœlos, nihil de morte placida, judicio extremo, & consummatione seculi, inferno denique & cacodæmone, vere & spiritualiter, cognoscemus, nisi hæc omnia senserimus, & experti fuerimus. O quantis difficultatum vorticibus demergemur, si veram, & spirituale cognitionem, a sensu & experientia, quam ejus cum revelatione divina conformitate, deducere maluerimus! Conf. B. D. Neumanni Disput. de Illuminatione.

§. LXVI. Est igitur impi quoque notitia III.) Spiritualis. Proficiunt enim a Spiritu S. quod supra ostendimus, nec dicere Stephanus potuisset, *Judeos Spiritui S. resistere, Act. VII, 51.* si hausta ab iisdem notitia non fuisset, ab ipso Spiritu propinata. Graviter ergo errant, qui notitiam, absque fiducia, pro re mere-naturali habent, & tanquam ideale quid & legale, cum Zieroldo, Langioque, & aliis, exagitant, quum injuria in ipsum Spiritum, a quo proficiuntur, redundet. Accedit, quod per verbum, quod Spiritus est & vita, Jo. VI, 63. ingenerata fuit, & circa objecta spiritualia, Deum nempe, ac res divinas, versatur, finem quoque, & effectum spiritualis

*ritualem* intendit, et si, ob positum ab homine obicem, eundem non consequitur, vel attingit.

§. LXVII. Denique IV.) *in se quoque est efficax.* In se inquam, & *qua actum primum*, quia rerum divinarum notitia, in qualicunque deprehendatur homine, nihil est aliud, quam Verbum DEI cognitum, apprehensum, & memorię mandatum, quod quidem est potentia ad salutem omni credenti, Rom. I, 16. & potest animas nostras salvas facere, Jac. I, 21. Sed nec efficacia, qua *actum secundum*, eidem temere est neganda. Etsi enim impii, contumacia sua plenam, numerisque omnibus absolutam sui emendationem impediunt, prohibere tamen non possunt, quo minus hausta e verbo notitia, subinde vires suas exerat, eosque miseriae suae commoneat, admissorum arguat, & convincat, denique reatu mortis & æternæ damnationis terreat. Uti enim tanta DEI est bonitas, ut aliquem, etiam *gratiosę presentię gradum*, in Cœna nempe Domini, ne homines quidem impii, possint effugere, ob *ordinationem* DEI instituentis; sic etiam primos quasi notitiæ motus, ac insultus eludere, aut declinare ne impius quidem potest, ob benignissimam Numinis voluntatem, per quam efficacia cum verbo induculo nexu cohæret. Hi proinde motus sunt *inevitabiles*, licet sint *resistibiles*, ut loquimur in Scholis, adeoque Felix & Agrippa compunguntur cordibus, & trepidare ad Apostoli concionem incipiunt, ut ut perrumpere vim Verbi, & in voluntatem penitus penetrare, per contumaciam suam non patientur, Act. XXIV, 25. XVI, 28. Cum proinde impius quoque, ac negative irregenitus, quosdam notitiæ doctrinæque effectus intra se ipsum experiatur ac sentiat, concludo, hanc ipsam hominis improbi notitiā non modo veram, & spiritualem, sed & efficacem esse.

§. LXVIII. Plura de hoc arguento non addo, de quo aliquot abhinc annis strenuos illos purioris doctrinæ defensores ac Vindices, B. D. Fechtium, & Dn. D. V. E. Löschерum, alterum quidem in disputatione de *Conseclariis periculosis e doctrina de falsa irregen. Theol. prof.* alterum vero, in eruditiss. dissert. de *Pelagianismo*, multa graviter, sobrie que scripsisse memini.

§. LXIX. Subducimus igitur rationes, missisque in compendium disputatis, Gratiam Dotentem describimus, quod sit actus gratiae Spiritus S. applicatrixis, qua is, una cum Patre & Filio, homines natura sua corruptos, sed ad regnum gratiae benevole invitatos, per & propter Christum, mediantebus verbo & Sacramentis, ab ignorantia, erroribus, & dubitationibus liberat, notitiaeque rerum divinarum Spirituali, vera & efficaci, imbuat, ad fiduciam in Christum concipiendam, & consequendam salutem.

§. LXX. De affectionibus hujus gratiae hoc pauciora retulerim, quod plerasque in superioribus vel jam explicui, vel obiter insinuavi ac tetigi. Monemus igitur breviter hanc ipsam gratiam esse a.) successivam, gradibusque obnoxiam. Non enim fit ordinarie in momento, vel in instanti, ut regeneratio stricte sumpta, atque justificatio. Semen enim verbi primum herbam protrudit, hinc spicam, tandem in spicis triticum, *Marc. IV, 28.* Et sermo Propheticus primo instar lucernæ lucet in pectore, tanquam loco caliginoso, per gratiam prævenientem: tum dies illucescit, per gratiam excitantem, tandem ὁ Φωσφόρος J. C. pleno jubare oritur, per gratiam perficiemt, atque inhabitantem, *2. Petr. I, 20.* Hinc Samaritani primum invitabantur ad fidem per narrationem mulierculæ, quacum Christus fuerat collocutus: hinc ipsi audiebant Dominum, tandemque plenam

con-

concipiebant fiduciam, *Io. IV.* Et Apollo κατηχημένος de cetero τὴν δδὸν τὴν κωνσταντίαν multis annis, tantum norat baptismus Joannis, tandem vero per Priscillam & Aquilam αὐγεῖσε πορευόμενος edocebatur de via Domini, *Act. XIX, 25. sq.*  
Conf. B. Bücker, in mens. Pietist. p. 456.


§. LXXI. Hac ipsa vero de causa debet b.) esse *continuata*, quæque indies majora capiat incrementa. Crescere enim jubemur in scientia DEI, *Eph. I, 17. Col. I, 10.* in gratia & cognitione Domini nostri J. C. *2. Petr. III, 18.* ne simus amplius pueri, qui fluctuant, & circumferantur quovis doctrinæ vento, per versutiam hominum, *Eph. IV, 14.* sed potius τῶν φρεσὶ τέλειοι, & adulti, *I. Cor. XIV, 20.*

§. LXXII. Quantumcumque vero cognitionis gradum attingamus in hac vita, meminisse tamen debemus, eandem c.) esse mutilam ac *imperfectam*. Nam Prophetiae abolebuntur, & linguae cessabunt, & scientia abolebitur: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Ast ubi venerit quod perfectum est, tunc, quod ex parte est, abolebitur, *I. Cor. XIII, 8. 9.* Nimirum, secundum illud Theologi ἀξιωμα,

Præsens est imperfectum: Perfectum & Plusquamperfectum est futurum.

SOLI DEO GLORIA.






00 A 6436

ULB Halle  
004 931 300

3



KD 18





## Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0  
Inches  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

D. B. V! 36  
IN AVGVRALIS  
VA DE  
ATIA  
SS SANCT  
CENTE  
PICIIS  
ICIPIS ATQVE DOMINI  
RICI AVGVST  
XON. HEREDIS  
ETC. ETC.  
AE MAGNIECENTISSIMI  
ESIDE  
VERNSDORFI  
ROF. PVBL. ORD. TEMPLI C  
TVS ECCLES. ASSESSORE  
ICENTIA  
A HONORES CONSEQUEN  
EXTIL. tDCCIX.  
OST MERIDIEM STATIS  
DISSERVIT  
tlieb HOFMANNVS  
Cand. nunc vero S. Theol. Doct.  
ord. in Acad. Lips.  
SECUNDA.  
ANNO GERDESIANO. 1717.

XII